Q. D. B. V.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA,

DE

EPHORIS JUVENUM,

VULGO

Von Hofmeiſtern bey jungen Herren/

QUAM

SUB PRÆSIDIO

DIVINI NUMINIS,

EX AUCTORITATE ET DECRETO

ILLUSTRIS ET EXCELLENTISSIMI JCTORUM ORDINIS

In Inclyta Hac LUDOVICIANA,

PRO LICENTIA,

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET DOCTORALIA PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI

IN AUGUSTO JCTORUM AUDITORIO

AD D. XIV. APRIL. M DC XCVIII.

ILLUSTRIUM ET EXCELLENTISS. PROCERUM ACADEMICORUM

EXAMINI SUBMITTIT

JOHANN. MELCHIOR HOFMEISTER/

Hildensis Saxo.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

LIPSIÆ; Literis ANDR. MARTIN. SCHEDII.

R. 1714.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. J.

PRAELOQUIUM.

Diu deliberanti mihi quam materiam, vitæ academicæ valedicere juſſus, pro conſcribenda diſputatione inaugurali ſeligerem, neſcio quo fato, nomen meum, non omen materiam de Ephoris Juvenum ſuppeditabat. Hærebam quidem primum, cum non ignarus eſſem, de Ephoris & eorum officio tot præclariſſimorum Virorum, tam in vernacula noſtra, & latina, quam gallica lingua, extare judicia. Sed dum hæc Philoſophica potius & Politica, & nihil aut parum circa jura Ephororum in lucem edita eſſe compeririſſem, cum tamen materia hæc in vita communi, & foro juridico valde ſit obvia, non abs re poſtea arbitratus ſum, ſi ejuſmodi

Digitized by Google

Ephoros juvenum ſecundum jus noſtrum depingerem, & Illuſtris & Excellentiſſimi Senatus Academici diſquiſitione exhiberem. Quod ſi vero in quibusdam erraverim, aut materiæ huic præſtantiſſimæ ex voto cuiuscunque non ſatisfecerim, id Benevolus Lector pro ſua humanitate, temporis & liberorum penuriæ adſcribere, errorem corrigere, ea quæ deſunt ſupplere, & meliori ſuo judicio ſuccurrere velit. Interim Divini Spiritus præſentiam & adſiſtentiam in hoc propoſito ſupplex acclamo.

* * * * * * * * * * * *

CAPUT I.

De Ephoris in genere.

§. I

Etymolog. Vox *Ephorus* græca eſt, ἔφορος enim latine ſignificat inſpectorem, & deſcendit à verbo ἐφοράω inſpicio, quod derivatur ex ἐπὶ in, & ὁράω ſpecto, video, obſervo, de quibus *vide Lexicon Schrevelii. Juvenis* vero tritum eſt verbum ſubſtantivum, quod *Varro* a juvando ducit *apud Cenſorinum de die natali cap. 14.* & in utroque genere uſurpatur, tam de ſexu maſculino, quam fœminino. Hoc vero loco in præſtantiore ſexu ſumitur,

Digitized by Google

ſumitur, ut etiam Menander utitur in *l. 4. §. 11. ff. de re militari*, notatque einen untergebenen jungen Herrn.

II.

Germanice Ephorus vocatur Hofmeiſter / quod nomen habet à verbo germanico Hof / & varias accipit ſignificationes, quas recenſet *Limnæus ad Capit. Cæſar. fol. 304. Speidelius in ſpecul. notabil. ſub voce* Hof *n. 138.* & *Spate* im Teutſchen Sprachſchatz *ſub eadem voce*, qui etiam monet, ut caveamus, ne duplici ff ſcribamus, Hoff enim eſſet Imperativus à verbo ſperare Hoffen. Deinde compoſitum eſt à voce Meiſter / latine magiſter, quem Paulus *in l. 57. ff. de verb. ſignif.* ita deſcribit: Cui præcipua cura rerum incumbit, & qui magis quam cœteri diligentiam & ſolicitudinem rebus, quibus præeſt, debet. Unde etiam cujuslibet diſciplinæ præceptorem magiſtrum appellat, à monendo & monſtrando. Et hoc etiam de Ephoro dici poteſt. Hic enim conſilio gubernat, præceptis juvat, ſtudia ordinat, admonet & vias virtutis & eruditionis monſtrat, quod verbum illud germanicum Meiſtern denotat, à quo originem habet Meiſter. Quandoque ſumitur etiam in malam partem, & tunc odioſum eſt pro cenſere, corrigere, taxare, Meiſtern.

III.

Ephorus ſimilitudinem quandam habere videtur (1) cum Superintendente, qui inſpectionem ſuper alios Paſtores, & populum ſuæ diæceſi ſubjectum habet, *c. cler. 1. §. Epiſcop. diſtinct. 21.* Rittersh. *ad Novell. part. 1. cap. 7. n. 10.* Carpzov. *Jurisp. conſiſt. l. 1. tit. 2. def. 19. n. 2. & 7.* (2) Dicitur de eo, qui Eccleſiæ, collegii ſtipendiatorum in Academiis, Gymnaſii, aut ſcholæ trivialis, eſt inſpector. (3) De Epiſcopis Græcorum, quos deſcribit Calvinus *in lexic. jurid. ſub voce Epiſcopus*, Et (4) de Magiſtratu Lacædemoniorum, *Homonymia.*

Digitized by Google

rum, de quorum poteſtate legimus in *Cornel. Nepot.* Pauſania *cap. 3. n. 5.* quod nempe ducem Pauſaniam in vincula conjicere potuerunt, & apud Cic. *lib. 2. de Officiis c. 23.* (5) Sumitur pro cuſtode, quo ſenſu utitur Horat. *in Epiſt. ad Piſon. verſ. 161.*

Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto,
Gaudet equis, canibusq; & aprici gramine campi.

Denique (6) accipitur pro magiſtratu, ut Terent. *Me filiis relinqunt quaſi magiſtratum*, quod germanice ita tranſtulit Faber *in Theſaur. ſub voce Magiſter*: Sie ſetzen mich zum Hofmeiſter über ihre Kinder.

IV.

Varias etiam habet æquivocationes germanicum verbum Hofmeiſter. Nam dicitur (I) de Præfecto aulæ, ſive Prætorio, qui inſpectionem & curam aulæ Principis habet, cui varia dantur Epitheta pro moribus aularum. Olim hic 1) vocabatur apud Francos Major domus, unde Italicum Maggior domo, hodie autem Hofmeiſter/ vide Chron. *Herbip. circa fin. fol. 215.* & Wehner. *in obſ. pract. ſub voce* Haußmeyer. Aut 2) ſimpliciter nominatur Hofmeiſter/ ut Regis Pharaonis, *Gen. 39. verſ. 1.* Aut 3) aliis adjectis titulis, nempe Ober-Hauß-Hofmeiſter/ vel ſi uxori Principis & Gynæceo Aulico datur, Frauenzimmer-Hofmeiſter. (II) De eo, qui ærario Principis præeſt Land-Hofmeiſter/ de quo Seckendorff im teutſchen Fürſten-Staat *p. m. 470.* (III) Competit quoque nomen hoc fœminæ Comitis & Nobilis, quæ in aula Principis conſtituta, aulæ magiſtra, & inſpectionem habet ſupra virgines aulicas & ancillas. (IV) Habent etiam Principum infantes magiſtrum, quæ curam gerit ſupra eorum ſanitatem & educationem, & vocatur Kinder-Hofmeiſterin. (V) Tribuitur etiam villico qui gubernationi prædii nobilis aut villæ præeſt.

Digitized by Google

V.

Appellatur alias Ephorus, cuſtos, curator, gubernator, morum magiſter, Inſpector, Præfectus, Germanice Auffſeher/ Hofmeiſter/ Gallice, Gouverneur de quelque jeune homme, *vid. Lexicograph.* *Synonymia.*

VI.

Et eſt conſtitutus (1) vel cum inſtructione, quam libellum commonitorium latine poſſumus nuncupare, vel ſine ea,& hoc caſu & fidei & arbitrio ſimpliciter commiſſus eſt juvenis. (2) Cum mandato, vel generale habet vel ſpeciale, & rurſus illo inſtructus, aut generale cum liberâ, aut ſine liberâ mandatum accepit. Vel (3) eſt Principis juvenis, Comitis, Baronis, Nobilis aut Ignobilis. Vel (4) ipſe genere Nobilis, vel ignobilis. Vel (5) in patria vivit, aut in academiis, aut in itinere eſt cum juvene. De quibus pluribus infra nobis agendum erit. *Diviſio.*

VII.

Poteſt itaque Ephorus deſcribi, *quod ſit perſona habilis cujus curæ & fidei juvenis commiſſus, ut in pietate moribus & ſtudiis bene educetur*. Verba hujus deſcriptionis ſatis clara fore non dubito, nec etiam opus eſſe ut hic explicentur, cum partim ſubjectum & objectum, partim quoque formam & finem hujus Diſputationis reſpiciunt. *Definitio.*

CAPUT II.

De Cauſa efficiente, Subjecto, Objecto, Forma & Fine.

§. 1.

PArentes ad educandos liberos non ſolum ex lege naturali divina & humana obligatos eſſe, quis eſt, qui neſciat? Ipſa enim lex naturalis, dum ſociabilem eſſe hominem juſſit, parentibus curam liberorum ſimul injunxit. *Cauſa efficiens.*

Puf-

Digitized by Google

Puffend. *de offic. hom. & civ. l. 2. c. 3. §. 2.* Nam conſequens ſocietatis conjugalis eſt ſocietas inter parentes & liberos, Excell. Dn. Hertius, Præceptor meus devenerandus, in *Element. prud. civilis part. 1. pag. 55. §. V.* Cujus finis primarius eſt educatio liberorum, quæ ſub ſe continet duas partes, alimentationem, quæ ad corpus ſpectat, & inſtitutionem ſive doctrinam, quæ ad animum ſpectat. Excellentiſſimus Dn. Thomaſius *in Jurispr. divin. lib. III. cap. IV. §. 28. & 33.* Et de his utrisque parentes, quibus onus alendi incumbit, etiam de jure civili tenentur, Gothofred. de Jena *in tract. de SCto Maced. ſect. V. aphor. XI. n. 3. & ſeq.* Quamvis enim Alimentorum nomine, ſi proprietatem verbi ſpectes, & hæc debeantur ex diſpoſitione hominis, v. g. ex legato, vel contractu, ſtudiorum aut addiſcendarum artium ſumptus non contineantur, *per l. 6. ff. de alim. leg.* quod ſi tamen de illis alimentis quæſtio eſt, quæ jure Naturæ aut diſpoſitione legis debentur, ut quando dicitur patrem filio alimenta debere, tum omnino alimentorum nomine etiam ſtudiorum ſumptus, aliæque expenſæ, quæ ad animum excolendum pertinent, comprehenduntur: vid. *L. 50. ff. famil. erciſcund. L. 2. C. de alim. pup. præſt. l. qui fil. 4. ff. ubi pup. educ. l. 6. §. 5. l. 3. ff. de Carb. Edict.* & Beati Dn. Ant. Henr. Mollenbecii, Profeſſoris quondam hujus academiæ celeberrmi, *Divis. jurid. Cent. 1. Div. 6. Addit. 1. num. 14.* Verum cum ipſis ſæpius propter dignitatem & ſtatum, aut quoniam ſummis circa rempublicam adminiſtrandam diſtricti ſunt occupationibus, aut propter abſentiam & utilitatem prolis, aut alia neceſſitate id exigente, præſertim ſi ad academias & alia peregrina loca mittatur juvenis, non liceat educare, & mores, ſtudia & actiones eorum dirigere, hoc officium aliis, præſcripta forma inſtructionis, commendari debet:

Quam-

Quamobrem ſibi parentes de idoneo Ephoro proſpiciunt, cui curæ educationem & inſpectionem hanc committunt. Exemplo Davidis, qui filium ſuum Salomonem ſub manibus Prophetæ Nathan dabat, ut eſt in ſacris literis, 2. *Samuel. cap.12. v. 25.* Statuit idem *in Aurea Bulla* Carol. IV. *cap. 26. in fin.* quando jubet ut Regis Bohemiæ, Comitis Palatini, Ducis Saxoniæ, & Marchionis Brandenburgenſis, Electorum filiis, hæredibus & ſucceſſoribus proximis, quibus in principatu veriſimiliter ſibi credunt ſucceſſuris, inſtructores, & in propriis domibus pædagogos, & pueros conſocios adhibeant. Recte itaque parentes, quorum appellatione avus, avia, mater & pater continetur, *l. 51. ff. de verb. ſignif.* Ephoros conſtituunt.

II.

Quæſtio hic oritur: An matri, quæ vitricum ſuperinduxerit, Juveni filio ephorum conſtituere poſſit? Reſp. 1) quoniam educatio liberorum matri, quæ ad ſecunda vota tranſiit, non conceditur, *per l. 1. C. ubi pup. educ. Novel. 22. cap. 38.* Struv. *Exercit. XXXI. th. 61.* 2) Ejuſmodi mater liberos ſuos minus diligere creditur, *l. fœm. 3. l. generaliter 6. C. de ſecund. nupt.* Hinc nec ſalutem eorum procurare videtur, cum tamen alias parentes optimum & ſaluberrimum conſilium pro liberis capeſſere præſumantur. *l. nec in ea 22. ff. ad leg. Jul. de adult.* Et 3) matre convolante ad ſecunda vota, illa a tutela liberorum repellitur. *Auth. ſacram. C. quando mul. tut. offic.* quo facto, illa non amplius ſub directione ſua habet liberos, ſed hi in poteſtate tutorum & curatorum ſunt, & per conſequens illa regulariter nequit Ephorum conſtituere.

III.

Nullis exiſtentibus parentibus, tutores juveni præponunt ephorum, quia illi in locum paternæ ſocietatis

 ſucce-

ſuccedunt, ut ſub illis deliteſcat ætas injuriis obnoxia. Excellentiſſimus Dn. Hertius *in prud. civ. part. 1. pag. 57.* Eorumque nomina in quarto decalogi præcepto continentur, *Carpzov. in Jurisp. Conſiſt. part. 1. def. 47. num. 3.* [2] Quia Juvenes ſub horum poteſtate ſunt, §. 1. 2. *Inſt. de tutela.* Et [3] quod officium tutoris non ſolum conſiſtit, in defendenda perſona pupilli, & ejus patrimonii, ſed & quod proſpicere debeat illis de alimentis, & ſalute & de informatione, *l. 7. ff. de adminiſtr. & per tut. l. 4. §. 5. ff. ubi pupil. educ.* Nec curator ab hac conſtitutione prohibetur. Appellatione enim tutoris, venit etiam curator, per *l. 101. ff. de cond. & demonſt.* & vice verſâ appellatione curatoris, venit etiam tutor laxiori ſignificatione, *in Auth. ut hi qui oblig. Gloſſ. ibid. in verbo ad curationem C. qui dare tutor.* Maxime hodie ubi tutores curatores regulariter permanent, usque ad legitimam adultorum ætatem. Gail. *lib. 2. obſ. 96. n. 1. & ſeq.* Carpzov. *jurispr. forenſ. p. 2. conſt. 11. def. 10.*

IV.

Quod ſi vero ſive parentes, ſive tutores in eligendis conſtituendisque Ephoris negligentes ſint, poteſt magiſtratus Ephorum conſtituere, modo tamen facultates juvenum permittant. Cura enim hæc magiſtratui inprimis incumbit, ut liberi in pietate, moribus & eruditione educentur, *c. princeps. c. ſi apud 23. quæſt. 5.* Joh. Bodinus *lib. 6. de republ. cap. 1.* Hocque multo minus dubium habet, ſi parentes mortui fuerint: Adeo ut invitis etiam adoleſcentibus, magiſtratum Ephorum conſtituere poſſe arbitrer. Nam ſi invitis curatorem dare poteſt imo debet, uti jubet Carolus V. Imperator *Reform. Polit. Auguſt an. de Anno 1548. tit.* Von Pupillen und minderjährigen Kindern/ Tutorn und Vormündern: verbis: Wir wollen allen und jeden Chur-Fürſten &c. hiemit aufferlegt haben/

ben/die Verſehung zu thun/und verordnen/daß den pupillen und minderjährigen Kindern jederzeit/biß Sie zu ihren Vogtbahren Jahren kommen/Vormünder und Vorſteher gegeben werden. Quidni etiam Ephorum invito conſtituere poſſet? cum certe quanta curatoris, tanta etiam Ephori quandoque neceſſitas ſit.

V.

Cum itaque prædictas ob cauſas variaque impedimenta, paterno huic officio, quod maxime in juvenum conſiſtit gubernatione, ipſi conſtituentes ſæpius supereſſe non poſſint, de perſona ſibi proſpiciunt idonea, quem juveni inſpectorem adjungunt, & Ephorum præponunt, ut per eum hoc exequantur. Hic conſimilem in modum ſe habet ut procurator, aut mandatarius, dum ſcilicet curet pro præponentibus, quod illi curare debebant. Bachov. *in Comment. ad ff. de procurat. cap. 1, n. 1.* Hahnius *ad Weſembec. ff. tit. mandat.* Procurare enim eſt, pro alio aliquid curare, ſeu in curam & fidem ſuam recipere. Franzk. *in comment. ad ff. tit. de procurat.* Quod idem facere videtur Ephorus hoc negotium ſuſcipiens, in curam enim & fidem ſuam juvenem recipit. Et cum procurator ſit quaſi inſtitor, certe in multis cum eo conveniat, facile intelligitur, *ex titulo D. de inſtitoria actione*, multa ad hoc argumentum deduci poſſe. Cæterum ejuſmodi perſona poteſt eſſe Nobilis vel Ignobilis, pauper vel dives; Studioſus, vel gradu Academico ornatus, modo ſit habilis. *Subjectum.*

VI.

Ad hoc autem inter alia præprimis hæc requiruntur: [1] Ut Ephorus ſit pius, & in religione quam juvenis profitetur, orthodoxus. Nam impii & heterodoxi, aut impuris ſectis dediti, non poſſunt aliter inſtituere juvenes, quam malitia & falſis doctrinis. Ex illis velut fontibus

Digitized by Google

derivantur rivuli, ex puris puri & boni, ex impuris impii, & ex corvo malo malum ovum. Nec ignotum eſt, quam facile juvenis in peregrina loca miſſus, præſertim, ſi nondum ſatis fundamentis fidei inſtructus, ſeduci & ad falſas doctrinas, ſectas & opiniones animus flecti poteſt, ut verendum, eum ad caſtra adverſariorum transire, aut ex Chriſtianiſmo in Atheiſmum dilabi, quo deinde provectiore ætate ingens periculum reipublicæ attrahatur. Caveat ergo ſibi conſtituens ab ejuſmodi progenie viperarum, *Matth. 3. v. 7.* & præficiat juveni pium, & in religione purum, & a quo omnis falſæ ſectæ ſuſpicio abeſt. A pietate enim & religione omnis æterna & temporalis felicitas dependet, quod non ſolum divina ſed & humana teſtimonia probant, *Exod. 20. v. 12.* & plura alia, *Receſſ. Imperii de Anno 1566.* §. Wie wohl Wir nun &c. ibi: daran alle zeitliche und ewige Wohlfahrt hänget &c. qua neglecta, aut penitus ſublata omnes corruent virtutes. *Receſſ. Imperii de anno 1532. Rubrica Concilium* betreffend in fin. ibi: darneben erfolgen würde/ daß alle Zucht/ Ehr/ Gehorſam/ und andere Tugenden in Geiſtlichen und Weltlichen gäntzlich fallen würden.

VII.

[II.] Virtuoſus & prudens. Quod enim Cicero epiſt. famil. XI, 23. ſcribit: *Dignitas tua facit, ut animadvertatur, quicquid facias*, id heic inprimis locum habet: nihil enim facilius influit in mores juvenis quam dicta & facta Ephori ſui. Hoc igitur ἔργον eſt, quod in Ephoro maxime requiritur, ut teſtatur Ludov. de Seckendorff *in addit.* T. F. Staats §. 39. Kan aber ein Herr über allen angewandten Fleiß zu ſolchen erwünſchten Perſonen nicht gelangen/ ſo ſehe Er in Beſtellung eines Hofmeiſters mehr auff Tugenden/

Digitized by Google

den / und natürlichen guten Verſtand / als auff groſſe Wiſſenſchafften und Exercitien/dann hiezu kan er unterſchiedliche viele Leuthe gebrauchen / hingegen muß die direction des Hofmeiſters bey den Sitten und dem Gemüthe des jungen Herrn am meiſten thun.

VIII.

[III.] Eruditus. Quanquam quidam putent, inter quos etiam eſt Ludovic. de Seckendorff loco citato, quod in Ephoro literatum eſſe non deſideretur, ſed poſſe etiam talem eſſe, qui expers ſcientiarum, linguarum & Exercitiorum academicorum eſſet, ex hac quidem ratione, quod ad addiſcenda illa aliorum informatione uti poſſit; Attamen, cum juvenes illuſtres non tantum exercitiis, ſed & ſtudiis in Academiis incumbere ſoleant, maximus profecto utriusque peritiæ in Ephoro uſus eſt, ut nempe domi cum juvene ſuo repetat ea, quæ ex Profeſſoribus in collegiis audivit, quæ nondum intellexit explicet, quæ neceſſaria memoriæ inprimenda ſint, oſtendat. In linguis & exercitiis curet, ne ejuſmodi lectiones Magiſtri exercitiorum & linguarum illos doceant, quæ duntaxat propter lucrum eorum monſtrant, aut quibus id intendunt, ut diutius hac de cauſa in academia, aut alio loco commorari deberent, & tantum impedimenta ſunt profectuum. De his autem imperitus ſcientiarum, linguarum & exercitiorum, nec prudenter judicare, nec cum fructu & progreſſu in ſtudiis juveni præeſſe poteſt.

IX.

[IV.] Majori ætate quam juvenis. Igitur qui minoris ætatis eſt, removetur ab hoc officio, *arg. l. 2. §. 1. ff. de reg. jur.* In civile enim eſſe ait Imperator, in §. *Item major. Inſtit. de Excuſat. tutor. & curat.* eos, qui ipſi alieno auxilio in rebus ſuis adminiſtrandis egere noſcuntur, & ab

aliis reguntur, aliorum inſpectionem & Ephoriam ſubire: & quod *in* §. *4. Inſt. de Adopt.* dicitur, pro monſtro eſſe, ut major ſit filius quam pater, id fere huc applicari poteſt, inconveniens eſſe ut major ſit diſcipulus quam Ephorus. Præterea requirerem, ne minor decem & octo annis ſit, major autem octodecim annis hoc officio fungi poteſt, *arg. l. 57. ff. de re judicat.* Cum enim antiquitas hujuſmodi ætati & pro aliis poſtulare concesserit, cur non etium ſui judicii ſtabilitas ita eos adjuvare credatur, ut aliorum informationem inſtructionemque ſuſcipere poſſit? Nam qui judex eſſe aut Magiſtratum gerere poteſt, uti poteſt qui non XVIII. annis minor eſt, *dict. l. 57. ff. de re judicat.* qui etiam consulendo de jure reſpondere & Advocatum agere poteſt, uti Nerva hac ætate publice de jure reſponſitaſſe legitur in *l. 1. §. 3. ff. de poſtul.* certe ut Ephorum quoque agat, idoneus eſſe creditur. Neque obſtat, quod minor 25. annis tutor eſſe nequeat: *dict. §. item major Inſt. de excuſat. tut.* Enim vero amplius omnino tutoris officium eſt, quam Ephori: Tutor enim omnia nomine pupilli gerit & adminiſtrat, inſtar domini, & tam in judicio quam extra judicium, nec perſonæ ſaltim pupilli, ſed ad univerſum patrimonium datus eſſe creditur, vid. *l. 27. ff. de Admin. & peric. tut. §. datus autem 17. J. de excuſ. tut.* Ephori autem poteſtas admodum limitata eſt, & juxta fines in mandato ſive inſtructione præſcriptos ſe continere debet, quia Ephorus ut Procurator extrajudicialis ac mandatarius conſideratur. Accedit, quod tutor Ephorum, ſed non Ephorus tutorem conſtituere poſſit. Quicquid vero ſit, plerumque tamen illi, qui provectiore eſt ætate, hoc negotium delegari debet, quod etiam vult Ludov. de Seckendorff in *addit.* §. 59. des T. F. Staats/ dicens: Keine junge/ ſondern ziemlich betagte Leute ſolte man dazu ge-

brau-

brauchen/damit ſie die affecten der Jugend an ihm ſelbſt überwinden gelernet.

X.

Prohibentur quidam, ob defectum animi, vel corporis, vel judicii, vel bonæ exiſtimationis. Non vero fœminæ, quamvis illis alias publicum officium haud committi debet, *l. fœm. ff. de reg. jur.* tamen illæ hoc negotio funguntur & puellis præponuntur: Hæ ſunt vel virgines ætate profectæ, vel matronæ honeſtæ, piæ, caſtæ & idoneæ, quæ præſunt illis in informatione pietatis, morum & virtutum. Interdum etiam in informanda gallica lingua, & vocantur germanice Frantzöſinne. Pudor enim naturalis prohibet, quominus inter viros verſari, *l. 14. C. de contrab. & com. ſtip.* aut una cum iis educari poſſint. Proſpicitur ergo illis de ejuſmodi fœminis, quæ virgines ita in decoris virtutibus inſtituant.

XI.

Datur quidem Ephorus infantibus, qui in patria vivant, aut in aula Principis ſervitia præſtant, [qui gallice dicuntur les Pages] maxime tamen abeunti ad academias, vel peregrinas terras viſitanti. Cujus requiſitum eſſe debet, ut ſit Juvenis *arg. Rubric. Inſt. l. 37. ff. de ædilit. ædict.* non tam ætate, quam etiam mente. Ætatis enim nullum certum ponimus terminum cum Heig. *ad rubr. Inſt. n. 41.* & Limnæo *J. P. Lib. 8. c. 6. n. 22.* Nam experientia teſtatur, quosdam propter capacitatem ingeniorum citius, quosdam vero provectiore ætate ad academias & peregrina loca mitti. Hi vero ſunt vel Principes, Comites, Baronos, Nobiles, vel Ignobiles. *Objectum.*

XII.

Quæritur hic: An Princeps Juvenis qui ſtudiorum cauſa commoratur in academia, & quoddam genus aulæ

habet,

habet, ſecum artifices palatinos v.g. ſutorem, ſartorem, & alios habere poſſit? De Principibus juvenibus, qui illius territorii domini ſunt, nullum quidem eſt dubium, quoniam Parens eorum Celſiſſimus, pro ſuprema ſua poteſtate id conſtituere poteſt, ac in confirmatione ſtatutorum opificum oppidanorum ſuam aulæque conditionem excipit. Sed extraneo obſtare videtur, 1) quod ejusmodi Princeps juvenis in academiis literis operam navans ſe ſubmiſerit jurisdictioni academiæ, imo ut in academiæ actibus cedat Rectori, de quo exempla refert Schütz *in Colleg. publ. Vol. 2. Diſp. 1. th. 9. lit. c.* quia hic repræſentat Principis perſonam Menoch. *de arbitr. jud. quæſt. l. 2. cent. 1. caſ. 68. num. 24.* Carpz. Jurisp. Conſ. *Lib. 2. tit. 25. n. 6.* 2) Princeps ille juvenis ſub patria adhuc & Ephori poteſtate & inſpectione eſt, qua durante, ille neque ſibi aulam formare, neque per conſequens ſibi opifices aulicos conſtituere poteſt. Et 3) non conceſſurum Principem ac Dominum illius territorii, ut ab extraneo in præjudicium collegiorum opificum, quæ in eadem civitate ſunt, aliquid fieret, aut per eos horum ſtatuta violarentur, aut perforentur. Verum cum notum ſit, quod illis dum puberes eſſe incipiunt ſibi genus aulæ formare permittatur, per ea, quæ tradit Niehof *in Itinerario Sinenſi. fol. 187.* Et Adr. Bayer de *artif. palat. part. poſt. p. 324.* etiam per conſequens ſibi opifices aulicos arrogare poſſunt. Quod non ſolum iis concedent oppidani in honorem illuſtris ejus perſonæ, ſed & propter commodum, quod incolæ ſentient ex ejus præſentia, dum ille & comitatus ejus magnos coguntur impendere ſumptus in victum & amictum aliasque res, ex quibus incolis lucrum accreſcit non minimum. Accedit manſionem ejusmodi illuſtrium juvenum ſæpenumero eſſe incertam, & ad brevius tempus

durare:

Digitized by Google

durare: adeoque finita commoratione, quam inſtituerunt ſtudiorum gratia, rurſum alio demigrare, ut propterea vel hoc nomine negari ipſis haut debeat familiæ ſuæ uti opificibus, modo tamen aliis, qui ad comitatum ejus non pertinent, operas ſuas non elocent, & ſic reliquis oppidanis panem præripiant.

XIII.

Ephorus conſtituitur ipſa præpoſitione, ſeu præponentis commiſſione, & præponendi juvenis receptione in ſuam inſpectionem, arg. *l. 11. §. 2. & l. 18. ff. Inſt. act.* Hæc fit vel nudis verbis, cum præponens Ephoro in præſentia Juvenis mores, actiones, & ſtudia ejus gubernanda committit, & is commiſſum arbitrio, & fidei ejus in inſpectionem ita ſuſcipit. Vel literis de eo conſcriptis (Beſtallung) quæ nominatur inſtructio, qua Ephoro præſcribitur forma inſtitutionis juvenis ad academias abeuntis, ſuper quam ille fidem ſuam jurato promittit. Variat autem forma hujus inſtructionis, ratione perſonarum, ætatis, loci & ingeniorum. Aliter enim Juvenis, Princeps, Comes, Baro & Nobilis inſtituendus, quam Ignobilis. Maxime cum ejusmodi illuſtres ad eas ſtationes & munia ſint perventuri, ad quæ cæteri adſpirare aut pervenire vix ſoleant. Joach. ab Hirtenb. *in Palæſtra Nobil. præf.* Aliter & illi qui in aulis principum vivunt, & Principi ſervitia præſtant, aut in patria degunt, aliter etiam qui in academiis ſtudiis incumbunt & peregrina loca viſitant. Vix igitur quis præſcribere poteſt Ephoro formam, niſi objecti perſonam, ætatem, locum & ingenium bene noverit. Tradit quidem Dn. Ludov. de Seckendorff im Teutſchen Fürſten-Staat *p. m. 720.* formam inſtructionis Ephori, quæ ſpectat ad Principum & Illuſtrium filios a quinto usque ad decimum ſextum annum. Simi- *Forma*

Digitized by Google

lem etiam habet Spate im vierten Theil der Teutſchen Secretariat-Kunſt *p. m. 192. tom. 2.* nec deſunt quam plurimi alii, autores, qui de educatione horum Juvenum ſcripſere, & in lingua gallica extat elegans liber Varillaſii ſub titulo: *La pratique de l' Education des Princes.* Et Anonymi, *Instructions pour un jeune Seigneur, Inprimè à Paris* 1683. & alii.

§. XIV.

Alio autem modo formanda eſt inſtructio juvenis academici, & hæc tam ratione perſonarum, quam ſtudiorum rurſus diverſimode, concipienda. Extat hac de re Sulpicii Epiſtola *de ſtudiis Academicis juvenis recte inſtituendis.* Et Joach. ab Hirtenberg *Paleſtra Nobilis ſeu conſilium de Illuſtrum adoleſcentum educatione & complures.* In genere tamen ſolent cujuslibet inſtructionis academicæ præcipua contenta hæc eſſe, ut curam habeat juvenis pietatis, virtutis, ſtudii, honoris & corporis. [I] Quod *curam pietatis* attinet, conſiſtit hæc præprimis in his, ut juvenem quotidie ad eam adhortetur, ne negligat preces matutinas & veſpertinas, hymnos, & lectionem biblicam, nec ſanctificationem Diei Dominicæ, nec uſum ſacræ Synaxeos diverſis anni vicibus. In Theologicis, poſitis tamen domi fundamentis fidei, eum ita inſtituat, ut religionem ſuam penitus intelligat, & ſi neceſſitas poſtulaverit ſe defendere, telaque adverſariorum retundere queat. Inprimis vero in Theologia practica, in vera agnitione, dilectione & timore Dei, ut pie, caſte, ſobrie vivat, aliisque Theologicis virtutibus. Hanc ſequitur [II] *cura* virtutum & morum, ut eum præſertim in iis inſtituat, quæ generi ejus & ſtationi congruunt. Et hæc maxime ſtudiis præponendæ, qui enim proficit in literis & deficit in moribus, plus deficit, quam proficit, juxta vulgare illud. His ergo ſuccedit (III) *cura* ſtudiorum, ad quæ ſe juvenis applicat, & lingua-

rum,

rum, Gallicæ nempe & Italicæ, nam præſupponimus eum in lingua latina profectus habere, & Exercitiorum academicorum v. g. artis paleſtricæ, motus paleſtrici, artis ſaltatoriæ & militiarum cum bombardis, haſtis vibrandis, equitando aliisque. In quæ major etiam cura Ephoro incumbere debet, ut diligenter ſtudia & exercitia deſtinatis horis juvenis tractet, eumque ſæpius admoneat, nec diſſolutis jocis aut alio modo illicito armis abutatur. Et [IV] cura honoris, quem ſibi in converſationibus juvenis facile acquirere & perdere poteſt. Curet itaque Ephorus, ut juvenis in converſationibus [1] ſit humilis. [2] Ne flocci pendat ullius hominis amorem & amicitiam, attamen ne fiat ſine differentia omnibus familiaris. [3] Ut fugiat ambitioſas altercationes & diſputationes, interim ſuam opinionem, quando neceſſe eſt, dicat modeſte, & patiatur ſe erudiri & inſtituti. [4] Ne ſit glorioſus & ſemper in ore habeat Ego. [5] Abſtineat a mendaciis, nec facile narret id, quod incredibile eſſe videtur, etiamſi verum ſit. [6] Caveat ſibi ab obtrectationibus aliorum, ſi autem occaſione diſcurſus eum oporteat loqui de una vel altera mala cauſa, arguat potius factum quam perſonam. [7] Etiam ab ignominioſis aculeatis, ridiculis, ſordidis & ruſticis jocis & nugis. [8] A maledictionibus & execrationibus, [9] Honoret quemcunque, & ſit humanus & civilis. [10] Ne in ſermonibus verbis utatur affectatis, inconſuetis & peregrinis, ſed fluido & connexo loquendi modo aſſveſcat. Et (11) ne ſit multiloquus, ſed breviloquus & diſertus, priusque dicenda bene ponderans. Tandem (V) *cura* corporis, quæ conſiſtit in temperantia, victus, veſtitus & recreationis. Ne (1) per abundantiam in edendo, bibendo corpus juvenis gravetur, aut ſomno aut molli educatione nimium indulgeat. (2) Ut veſtitus ejus ſit honeſtus,

Digitized by Google

magis purus quam opulentus, magis politus quam magnificus. (3) In recreationibus, ut ſunt venationes, jaculationes in campis, ambulationes, luſus aleæ, Schachorum, ſive latrunculorum aliosque, non meræ fortunæ ſed artis ludos poteſt Ephorus moderatum uſum interdum concedere. Prohibere e contrario debet illos luſum immodicum teſſerarum, chartarum, præſertim qui fit propter lucrum, quo non ſolum nobile tempus perdit, ſed & moleſtam inquietem animo parit. Rectius itaque officio ſuo Ephorus ſatisfaciet, ſi ſollicitus ſit, ut otioſas horas inſtrumentis muſicis juvenis impendat. Et hæc præcipua contenta eſſe ſolent alicujus inſtructionis.

XV.

Schema Inſtructionis hunc in modum vidi, quod in aliorum gratiam apponere lubet. Ich Endes bemelder urkund und bekenne hiemit, daß Ich den N.N. zu meines Sohns N. ſo ich nach der Univerſität N. zu ſchicken vorhabens, Hofmeiſter beſtellet und angenommen habe, thue auch ſolches hiemit und in Krafft dieſer ihm ertheilten inſtruction alſo und dergeſtalt, daß derſelbe mit gedachten meinem Sohn auf bemelde Univerſität N. ſich begeben, woſelbſten und zuvordeſt überall denſelben als ein treuer Hofmeiſter gouverniren, zur &c. *Inſerantur hic contenta in theſi præcedente, quibus ſecundum perſonam juvenis conſtituens plura addere, vel detrahere poteſt, quod ejus arbitrio & judicio relinquo.* Im übrigen die Ihm mitgegebene Gelder, und übermachende Wechſel in gute Verwahr nehmen, nichts darvon, dañ was nöthig, ausgeben, und von Einnahme und Außgabe richtige Verzeichniß halten, damit Er auf erfordern mir ſichere Rechnung thun könne. Nebſt dem auch ſoll Er ferner ein wachſam Auge haben, daß der mitgegebene Diener ihnen beyderſeits treulich diene, und fleiſſig aufwarte, ſich ehrbahrlich halte, nichts verſchwende, oder unnützlich verbringe, ſondern ſtets unter ſeinem Gehorſam gehalten werde. Ob Ich nun zwar nicht zweiffele mehr ermeldeter Hofmeiſter N. werde ſich in allem, wie obgemeldet, jederzeit treulich u. aufrichtig erfinden laſſē,

und fleiſſige Obſicht haben, ſich auch ſelbſten eines Chriſtlichen tugendhafften Lebens und nüchtern Wandels befleiſſigen, daß er Ruhm davon trage, vor Gott mir, auch u. unſerm ihm jetzo anvertrauten Sohn es verantworten möge, ſo hat er jedoch, umb deſto meh rer Verſicherung, ſolches nach euſerſtem Vermögen, u. ſo weit ihm Gott Kräffte verleyhen wird, nachzukommen, nicht nur Handgelöbniß gethan, ſondern auch darüber einē leiblichen Eyd zu Gott dem Allmächtigen geſchworen. Dahingegen aber habe Ich meinem Sohn ernſtlich anbefohlen, daß er ihm als ſeinem vorgeſetzten Hofmeiſter in allen Ermahnung und Anweiſungen zur Gottesfurcht, geziemenden Sitten / im Studieren, Erlernung fremder Sprachen und Exercitien zu folgen, und in allem fleißig ſich zu erweiſen, damit keine Klage an mir einkommen, und darüber zu beſtraffen genöthiget werden möge, maſſen der Hofmeiſter hievon jederzeit zu berichten hat. Und nebſt dem verſpreche ich ihm, vor ſeine übernommene Mühewaltung zur Vergeltung und Beſoldung, jährlich N. Rth. auch frey Reiß-Koſten, Tiſch, Logiament, Holtz und Licht, auch alle Collegia, ſo mein Sohn halten wird, frey mit zu hören, wie auch Sprach- und andere Exercitien-Meiſter frey mit zu gebrauchen. Schließlichen, verſichere ich ihm Schutz, reſpect und Schadloß zu erhalten, und dafern mir ſeine Dienſte länger nicht gefällig, oder er inzwiſchen anderwertlich abgeruffen werden ſolte, und darbey zu verharren nicht gemeint ſeyn würde, ſoll die Loßkündigung jedem Theil ein halb Jahr vorher zu thun frey und vorbehalten ſeyn. Urkundlich habe ich dieſe Inſtruction eigenhändlich unterſchrieben, und mit meinem gewöhnlichen Pitſchafft beſtärcket. Geſchehen &c. N. N.

XVI.

Finis.

Hæc præpoſitio fit præprimis in honorem & gloriam Dei, dum Ephorus juvenem in pietate & vera religione inſtituit, ut Deo in adulta ætate melius ſervire, & utile membrum Eccleſiæ evadere poſſit. Deinde tendit hoc ad ſalutem reipublicæ, cujus partes ſunt etiam juvenes, Ariſt. *lib. 8. polit.* ſiquidem illi æque ac parentibus nati, *l. 1. §. 15. ff. de vent. in poſſ. mitt.* Intereſt ergo reipubl. ut hi bene educentur, quanti enim ex mala eorum educatione

 peri-

Digitized by Google

periculi reipublicæ attrahatur, nemo eſt, qui neſciat. Poſtea concernit familiæ ſplendorem, ne majorum parentum, generiſque virtus mala educatione & vitiis obſtruatur, & uſuveniat, quod non infrequens eſt, Heroum filii noxæ, cum in recta eorum inſtitutione tam illuſtrium nobilium, quam ignobilium familiæ ſplendor & univerſorum ſalus habitet, teſte Rupert. *in Valer. Maxim. l.3.c.5.* ut refert And. Schmid. *in varior. Philoſoph. decade in quæſt. Cur heroum filii interdum noxæ?* Poſtremo plerumque conſtituitur hic propter conſtituentis negotia, dum ipſe præeſſe huic officio non poteſt, ut ille mores ejus ſtudia & actiones gubernet, aut in utilitatem juvenis, ut vir doctus & bene moratus evadat, diligenter curet, inſpectionemque habeat, ne in malevolorum hominum converſationem incidat & ſeducatur, ne prodigaliter & luxurioſe vivat, otio, immodicis ludis, potationibus, voluptatibus aliisque vitiis ſe dedat, e contrario vero virtutes, ſtudia & bonos mores negligat, Deum & verbum ejus contemnat, quod alias facile fieri poteſt, ſi liber & ſub nullius inſpectione ſit. Melius igitur eſt juveniles calores coarctare, ne cupidini dediti triſtem exitum ſentiant, qui eos poſt diſperſum exſpectat patrimonium, *l. 8. §. 5. C. de bonis quæ liber.*

CAPUT III.

De Effectu & Modo finiendæ Ephoriæ.

§. I.

Effectus reſpicit tam præponentis quam præpoſiti Ephori obligationem. Obligatio Ephori conſiſtit potiſſimum in his: (1) Quod eum oporteat juvenem ſecundum præſcriptam inſtructionis formam educare, ejuſque fines & conditionem exacte ſervare, *l. 5. pr. ff. mandat.*

l. 11.

Digitized by Google

l.11. §.5. ff. inſt. act. nec recedere a forma *l.46. ff. mandat.* Quam ob cauſam nonnunquam juramentum ab Ephoro præſtatur, quod intra ſuos limites manenti addit religionis vinculum, *l. fin. C. de non num. pec.* Media tamen alia, quæ pro uſu inſtructionis ſunt, Ephoro adhibere licebit, *arg. l. ult. §. fin. ff. mandat.* modo intentio præponentis exitum ſortiatur. Bachov. *ad Treutl. diſp. 27. th. 6. lit. f.* Si vero nulla inſtructio, aut aliqua indefinite data fuerit, ita ſe gerere debet Ephorus, ut bonum virum decet, unde poſtmodum id præſtare tenetur, quod bonæ fidei convenit, *l. 60. §. fin. ff. mandat.* & ex arbitratu boni viri, *arg. l. 35. ff. mandat.* (2) Quod teneatur finito officio reſtituere id, quod occaſione officii hujus ad eum pervenit, *arg. l. 10. §. 12. & l. 20. ff. mandat.* (3) Quod debeat rationes reddere de pecunia ſtudiorum gratia illi ad academiam miſsa, *arg. l. 46. §. 4. ff. de procurat.* (4) Quod teneatur Ephorus non tantum de dolo, ſed ad exemplum procuratoris vel mandatarii, de omni culpa, *l. 13. l. 21. C. mandat. l. 23. ff. de Reg. jur. arg. l. 5. ff. mandat.* Struv. *Exercit. ad ff. 22. th. 10.* Qui enim aliena negotia, & inprimis Ephoriam in ſe ſuſcipit, is juris præſumptione exactam diligentiam in ſummo gradu pollicetur: unde eleganter Cicero pro Sext. Roſc. *Quid recipis mandatum, ſi aut neglecturus, aut ad tuum commodum converſurus es? cur mihi te offers? ac meis commodis officio ſimulato officis & obſtas?* Et porro: *Non mandat quisquam fere niſi amico, neque credit, niſi ei, quem fidelem putat: perditiſſimi igitur eſt hominis, ſimul & amicitiam diſſolvere & fallere eum, qui læſus non fuiſſet, niſi credidiſſet.* Et Atticus apud Nepotem, *in tuendo quod ſemel admiſiſſet, tanta erat cura, ut non mandatam, ſed ſuam rem videretur agere.* Quas obligationes ut perſequi poſſit præponens, datur ei actio mandati directa contra Ephorum *arg. l. 8. §. 6. mandat.* Datur

tur

Digitized by Google

tur etiam ei, qui cum Ephoro contraxit actio civilis directa ex contractu *arg. l. 7. §. 11. de SCto Macedon.* ſi nempe nomine præponentis contractum celebraverit, ut durante officio tantum ſolutionem procuret de bonis præponentis. Si vero ſuam fidem Ephorus pro præponente adſtrinxerit ſeu proprio nomine contractum celebraverit, Ipſe de ſuis propriis ſolvere, & finito licet officio obligatur. Conf. Struv. *Synt. Jur. Civil. Exercit. XX. th. 38. &* Lauterb. *Compend. p. m. 243.* & quando obligetur, ſi in debita diſcipuli ſui conſenſerit, vid. Brunnem. *Deciſ. 39. cent. 2.*

II.

Hic quæritur: (1) An obligatus ſit Ephorus, ut pro juvene ſuo ad Duellum provocato cumpareat, hujusque vices in ſe ſuſcipiat? ad quod negative intrepide reſpondeo: Quoniam duella per ſe ſunt tam lege divina, quam humana prohibita, duellum enim non eſt juſta & a Deo conceſſa litium & controverſiarum finiendarum ratio. Danæus *de Monomachia & duellis in Ethica Chriſt. lib. 2. c. 13.* Hocque verum eſſe arbitror, etiamſi mandati ſive inſtructionis tabulis hoc diſerte inſertum, & ab Ephoro quoque promiſſum ſit, ut liticulas juvenis Ephorus per duella dirimeret; ſiquidem ejusmodi mandatum promiſſumque contra bonos mores eſt, quo læditur pietas, & vita ipſius in periculo verſatur, ex quali mandato, utut ſuſceptum fuerit, nullam obligationem naſci, certo certius eſt *l. 15. ff. de cond. & demonſt. §. Illud quoque 7. Inſt. mandat.* Matthæus *diſp. 2. de oblig. th. 19.* plura, quæ huc referri poſſunt, habet Knipſchild. *in Exercit. de contractibus ult. in mantiſſa.* Pingitzer *quæſt. Saxon. 59.* Quæritur (2) ſi Ephorus juveni permittit, ut duellum ineat cum provocante, is vero provocantem gladio perfodit, ut ſpiritum efflet, an Ephorus delicti etiam reus & puniendus ſit? Non quidem ordina-

ria,

Digitized by Google

ria, ſecundum tamen circumſtantias extraordinaria infligenda eſt pœna, quoniam prohibere potuit & debuit & non prohibuit. Struv. *Exercit. XLIIX. th. 12. n. 4.* Potuiſſet enim ipſe magiſtratui indicare, aut per alios hoc facere, ut ille certaturis hoc ſub pœna interdiceret. Culpa igitur ſi non dolus in eo arguitur, qui non fecit, quod ex officio facere debuiſſet. Menoch. *Conſ. 175. n. 10.* & Brunnem. *ad l. 44. ff. mandat.* Hinc ejusmodi patrono & permittenti non ſolum extraordinariam, ſed & ordinariam pœnam tribuit *Conſil. Trid. Seſſ. 25. c. 19.* quod notetur infamia, incurrat privationem omnium bonorum & pœnam homicidii, hoc eſt, ſic debeat puniri, ac ſi homicida eſſet, licet mors non ſit ſecuta. Hanc pœnam quoque extraordinariam in obſervantia eſſe in jure militari Suecico teſtatur Speidelius *in ſpecul. not ab. ſub voce* auffordern: Lieſſen aber Capitain/Lieutnant oder Corporals ſolches zu/ und verhinderten es nicht mit allem Ernſt/die ſollen von ihren Aemtern abgeſetzet/und aufs neue für gemeine Soldaten zu dienen auferlegt werden. Ordinariam vero pœnam homicidii locum habere in jure militari Hollandico, notat Speidelius *ibidem*. [3] Quæritur: An Ephorus, ſi res quædam in itinere in Academia, aut ubi locorum egerit, ei ſint a furibus ablatæ, teneatur damnum illud per furtum illatum juveni reſarcire? Tenetur quidem Ephorus de leviſſima culpa *arg. l. 23. de reg. jur.* cui adſcribitur etiam furtum, Bronchorſt, *ad d. l.* quoniam ſua diligentia præcaveri potuiſſet, *l. 14. ff. de peric. & commod.* Verum cum interdum etiam ſine culpa ejus fieri poſſit, *arg. l. 14. ff. de furt.* quorſum maxime furtum domeſticum pertinet, & quod per effracturam committitur, relinquo id arbitrio judicis, qui ſecundum circumſtantias facile judicabit, an ejus culpa factum ſit nec ne.

Digitized by Google

III.

Ad præponentis obligationes ſpectat (1) quod Ephoro debeantur ſumptus, quos ratione ſui officii bona fide fecit *arg. l. 12. §. 9. l. 56 fin. ff. mandat.* etiam ſi minores ſumptus conſtituens impendere potuiſſet, ſi in academiis vixiſſet, vel in itinere fuiſſet, *arg. l. 27. §. 4. ff. eod.* Hinc recte præcavere ſibi debet de expenſis in genere, daß Er alles dasjenige/was Er occaſione des aufgetragenen officii verzehren würde/ ſolches der præponens zu erſetzen verbunden ſeyn ſolte. Nam ſi hoc non conventum ſit, expenſæ itineris & academicæ non aliter imputari poſſunt, quam ſubtractis expenſis domi faciendis. Mozzius *de contract. in natur. mand. n. 25.* Illuſtris Dom. Strykius *de cautel. contract. ſect. 2. cap. 22.* (2) Quod ſi Ephorus a latronibus, prædonibus, ſpoliatus, vel naufragio, rheda aut carpento alioque caſu fortituto res ſuas amiſerit, damnum illud reſarcire debet ei conſtituens, modo tamen occaſione ſui negotii damnum obvenerit, quod alias non paſſurus fuerat, ſi officium hoc non ſuſcepiſſet arg. *l. 61. §. 5. ff. mandat.* Alias non imputandum conſtituenti, ſed ipſe Ephorus tanquam ſuæ rei dominus, hoc periculum ſuſtinet *arg. l. 26. ff. mandat.* quod idem obtinet, ſi tempore officii ſui morbo afficitur, ut in Medicos Pharmacopolas quædam erogare debuit, cum hoc extra cauſam inſtructionis accideret, quod tamen Grœnvvegen aliter ſtatuit, *in leg. abrog. ad tit. ff. mandat.* Cautus itaque Ephorus ſibi conſulit de ſimili cautela, propter hos caſus fortuitos in inſtructione. Mantic. de *Tacit. & ambig. convent. Lib. 7. tit. 19. n. 13.* & Illuſtris Dn. Strykius *dicto loco.* Quod etiam de eo, qui ad manifeſte periculoſa & tempore belli hoſtibus infecta loca cum juvene mittitur, æquum eſſe putant, ut in iis caſibus fortuitis eum indemnem præſtet con-

Digitized by Google

conſtituens. Motz. tr. *de natur. contr. mandat. num. 24. ſeq.* Lauterb. *ad h. t.* §. *3. n. 3.* aut ei contribuat aliquid ad minimum, ne occaſione hujus officii ſentiat aliquod damnum *l. 7. ff. de teſtam. quemadmod.* Faber. *in Cod. tit. mand. def. 19. in fin.* Carpzov. *part. 2. c. 20. def. 14.* (3) Quod præponentis dolo aut quavis culpa illatum eſt Ephoro *arg. l. 61.* §. *5. ff. de furtis.* Si itaque Præponens ei dederit famulum, qui ſervitia tam Ephoro in itinere quam in academia, aut ubi commoratur, præſtare deberet, hic vero poſtmodum illi furatus eſſet quasdam res, tenetur præponens illi ad ſatisfactionem *arg. l. 26.* §. *7. ff. mandat. & l. 61.* §. *5. ff. de furtis.* Et (4) cum nemo facile tam ingratus ſit, qui moleſtiam hanc & operam honorario recompenſare nolit, Ideoque cautus ſit Ephorus, ut certum id & expreſſum ſit in inſtructione. Illuſtris Dn. Strykius *d. l. c. XI.* §. *11.* Si enim incerta honorarii quantitas ſit, ejus nomine nihil certi peti poteſt *l. 56. ff.* §. *pen. ff. mandat.* nec incerta pollicitatio ſalarii obligat *l. 17. C. eod.* Quantum vero hoc eſſe oporteat, id præponentis arbitrio & moleſtiæ relinquitur. Bene tamen monet Lud. de Seckend. *in addit.* des Teutſchen Fürſten-Staats §. 39. die gröſſeſte Beſoldung und reichlichſte Begnadigung/ ſolte man einẽ Hofmeiſter widerfahren laſſen/ alldieweil ſeine Mühe und Gefahr die allergröſſeſte zu Hof iſt. Quod potius de eo etiam intelligendum eſſe arbitror, qui in peregrinis locis juvenis gubernationi præeſt. Gaudet autem honorarium Ephori inſigni hoc privilegio, quod pleno jure Ephoro, utut in patria poteſtate adhuc conſtitutus ſit, acquiratur, & ſpectet ad bona quaſi caſtrenſia, quaſi in militia togatâ acquiſitum, poſſitque propterea Ephorus de honorario ejusmodi prout velit, tam inter vivos quam per ultimam voluntatem, libere diſponere *L. ult.* §. *1. C. de in offic. teſt.*

Digitized by Google

§. *fin. Inſt. de milit. teſtam.* Ad conſequendas has obligationes, datur Ephoro actio mandati contraria contra conſtituentem *l. 10. §. 9. l. 12. §. 7. l. 22. §. 2. ff. mandat.* Et hæc quoad præſcriptam inſtructionem, ſi vero hanc exceſſerit, nulla ei competit *l. 22. p. 2. l. 33. §. ult. ff. mandat.*

IV.

Porro præponens actione inſtitoria utili ex æquitate prætoria ab eo, qui ſecundum legem inſtructionis cum Ephoro contraxit, conveniri poteſt *l. 1. §. 1. ff. inſt. act.* §. 2. J. *quod cum eo qui in aliena pot.* Struv. *Exercit. XX.* §. 1. Lauterb. *Compend. p. m. 244.* licet alias ſtricto jure ex contractu Ephori præponens non obligetur *arg. l. 3. in fin. C. ne uxor pro marit.* Hinc ſi Ephoro Juvenis, cui præponens pecuniam ſumendi poteſtatem fecerat in inſtructione, credita ſit pecunia, is vero eam luxu prodegerit, aut alio conſumſerit, tenetur præponens eam creditori refundere. Dolus enim Ephori in re mandata præponenti magis, quem creditori, bona fide cum illo contrahenti nocere debet *arg. l. 11. §. 4. ff. Inſt. act. l. 5. pr. tribut. act. l. 1. §. 9. & l. ult. ff. exercitat. act.* Lauterb. *Compend. ad ff. de SCto Macedon. p. m. 252.* Fromman. *Diſp. de SCto Macedon. th. 51.* Idem Decius, Baldus, Accurſus, quos refert Stracha *de decoctor. part. 3. n. 52.* Non conſentit cum his Antonius Matthæi *diſput. de oblig. 9. §. 11.* præponenti ſubveniendum eſſe exſtimans, ex SCti ſententia, ſeu ex communi Doctorum placito, quod mandatum exſtinguatur, ſi procurator turbare, aut pergræcari cœperit. Enimvero ſibi imputare debet præponens, quod ejusmodi Ephorum juveni præpoſuerit, *arg. l. 7. §. 2. inſt. act.* cum contrahens non Ephori, ſed præponentis fidem & præſcriptæ inſtructionis tenorem fuerit ſecutus. Regreſſum tamen conſtituenti contra ipſum non denegat Illuſtris Dn. Strykius

kius *in annot. ad Compend. Lauterb. de SCto Macedon.* add. Carpzov. *p. 2. Deciſ. 130.*

V.

Reliquum ratione ſui officii hunc habet effectum Ephorus, (1) ſi ad academias abiit, & cum juvene peregrinatur, quod gaudeat privilegiis Studioſorum *in auth. habit. C. ne filius pro patre.* Non obſtante quod nec Profeſſorum collegia publica nec privata, nec Exercitia academica diſcat, ut requirit Sichard *ad auth. habit.* & alii, quos allegat Gilken. *ad d. auth.* nec etiam quod Scholaribus poſt annum vigeſimum quintum denegantur privilegia, quaſi in ea ætate nihil addiſcere præſumantur: Speculat. *in tit. de Reo n. 9.* Bartol. *in l. 1. in fin. Cod. qui ætate.* notante Limnæo *in jur. publ. Lib. 8. c. 6.* Verum contrarium præſumitur in Ephoro juxta illud JCti *in l. 20. ff. de fideicomm. Etiamſi pedem alterum in tumulo haberem, non pigeret aliquid addiſcere*, quod maxime etiam de Ephoro dici poteſt, cum hic docendo diſcat, ut vulgo dicitur. Fidelis enim Ephorus, domi ea, quæ in collegiis juvenis excepit, cum eo confert, repetit, inculcat & explicat, aut propter juvenis majorem fructum ipſe etiam quandoque collegiis intereſt. Hinc non excludi poteſt Ephorus ab his privilegiis ſtudioſorum. (2) Quod habeat juvenem ſub ſua poteſtate. Poteſtas tamen hæc aliquatenus reſtrictior eſt conſtituentis, & tantum in inſpectione & correctione ejus vitæ, morum & ſtudiorum conſiſtit. Interim obedientiam præſtare, & admonitiones ejus ſequi juvenem decet. Hic vero ſi morem non gerat, Ephorus per literas ſignificare id conſtituenti eſt obligatus, qui poſtea duris verbis reprehendere, aliisque pœnis juvenem coercere ſolet.

VI.

Solvitur officium Ephori, ex contraria utriusque voluntate *§. fin. Inſt. quibus modis tollatur oblig.* morte Ephori, *Modus finiendi.*

Digitized by Google

ri, non vero morte præponentis *arg. l. 17. ff. de inſtit. act.* quod non ſolum fit propter utilitatem juvenis, ſed & quod negotium hoc tale eſt, quod ante mortem implere nequeat. *l. 12. §. fin. ff. mandat.* & morte juvenis, temporis lapſu, aut obtento fine, revocatione juvenis cum Ephoro ad domum, præſertim ob malam Ephori adminiſtrationem, aut renunciatione, ſive reſignatione ipſius Ephori ob juſtam cauſam. Conf. Struv. *Exercit. XXII. th. XIV. & ſeq.* & quæ de Officialium revocatione & renunciatione habet Mylerus *in Hyparchologia cap. 4. §. 1. & ſequ.* Subſiſto hic & vela diſſertationis hujus abrumpo. TIBI vero DEUS Ter Optime maxime ſupplex ago gratias pro conceſſis viribus & divina tua adſiſtentia. TIBIque ſit

LAUS, GLORIA ET HONOR IN SEMPITERNUM.

* * * * * * * * * * * *

COROLLARIA.

1. *NOn Auguſtanæ confeſſioni addictus, ſed Anabaptiſta eſt, qui ordinationes civiles Ethnicas eſſe dicit, & recte hi damnantur in Auguſtana confeſſione.*

2. *Aſſeſſores & Advocati in Camerâ Imperiali non recipiuntur, qui non in Academia, ab Imperatore Romano confirmatâ, Gradum ſunt conſecuti.*

3. *Recte Princeps interdicit militibus matrimonium.*

4. *In officiis parentum cum ſpe ſucceſſionis liberi ſubſtituendi ſunt, & illis poſt mortem eorum præ extraneis ad ea patere debet aditus.*

5. *Qui homicidium committit in publicis certaminibus,* **auf Tourniren und Fechten ꝛc.** *nulli pœnæ ſubjectus eſt.*

6. *Feudum ab aliis jure ſub feudi poſſeſſum, ſive ſub infeudari ſolitum, non poteſt, reſoluto jure ſub infeudantis, per dominum auferri.*

Euge!

Digitized by Google

EUge! Ephorus Studiis bonus, HOFMEISTERE, fuiſti;
Hincce TUIS meritis prœmia digna manent.

Ita Præcellenti Dn. Hofmeiſtero, Jurium Candidato digniſſimo, de Juris Utriusque Licentia merito ſuo impetranda applaudit

Fridericus Nitzſchius, D. Conſil. Haſſ. & Prof. P.

DUm tractas Ephorum jura, *Hoffmeiſtere*, libenter
Gratulor ac voveo, ut nomen in omen eat.

Prænobili atque ornatiſſimo Dn. Candidato pro ſummis honoribus diſputaturo Imque hoc ſcribebat

Joh. Nicolaus Hertius, J.U.D. & P.P. h.t. Decanus.

QUi bene demonſtras EPHORORUM jura, fidelis
Ut Patriæ fias EPHORUS ipſe, precor.

Optimis Nobiliſſimi Dn. HOFMEISTERI meritis, novisque honoribus applaudit, omnigenam proſperitatem ex animo apprecatus

Bernh. Ludov. Mollenbecius, J.U.D. & Prof. Ord.

KUnſt und Geſchicklichkeit erfodert Müh und ſchwitzen,
Der liebe Müßiggang macht keinen nicht geübt;
Wer nicht will Tag und Nacht bey ſeinen Büchern ſitzen,
Derſelbe lebt verhönt, von Leuten nie geliebt,
Und noch viel weniger kan ſolchen jemand loben.
Wer an der Erden hängt, der kommt nicht in die Höh!
Die unbekante Krafft die würcket nur von oben,
Daß ein himmliſcher Sinn bey ſeinem Himmel ſteh.
Und weil Er, wehrter Freund, ſolch's wohl bey ſich erweget,
Demnach der Muſen Chor beſtändig zugeeilt;
Das, ſo man eitel heiſt, zurück und abgeleget,
So wird auch billich Ihm anitzo zugetheil't
Der Themis theure Gab; die güldne Doctors-Krone
Beut Ihm Apollo an. Ich wünſch vom Hertzen Glück
Zu dieſer neuen Ehr, zum wohlverdienten Lohne,
Nach ſchwerem Bücher-Streit zum wohlerhaltnen Sieg.

Er

Digitized by Google

Er müſſe ſtets, **mein Freund**, im Glück und Freudeleben
Von hohen Jahren alt, von Kräfften unverletzt;
Es müſſe Glück und Heil um **ſeinen** Scheitel ſchweben,
Bis GOTT **Ihn** dermahleins ins Paradeis verſetz

Mit dieſen wenigen ſolte und wolte dem Hn. Candida[t]
nen anherigen Herrn Tiſchgenoſſen und wehrtge[ſchätz]-
ten Freunde, hertzlichſt congratuliren

J. J. Gerſten / U. J. L. & Adv..

F I N I S.

BIBLIOTECA ROM. VITTORIO EM.

Digitized by Google